THESIS

Rocholl, Gerhard Heinrich

Halle a/d. S.

DE CONSENSV PRIMARVM VIARVM CVM PERIMETRO CORPORIS HVMANI

IN ALMA FRIDERICIANA
PRAESIDE ATQVE MODERATORE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BVCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MEDICAE SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI, ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

DIE XI. OCTOBRIS CIↃIↃCCLXIV.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

GERHARDVS HENRICVS ROCHOLL
LANGENBERGA-BERGENSIS.

HALAE AD SALAM
APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELII VIDVAM.

Consultos nos esse oportet in remediis vsurpandis, ne parti temere adhibeantur, cum tantum compatiendi lege laborat.

BALLON. Paradigm.

VIRIS
ERVDITIONIS GLORIA
VIRTVTVM SPLENDORE, MVNERVM DIGNITATE
MAXIME CONSPICVIS,
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
ANDREAE ELIAE BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO,
FACVLTATIS MEDICAE SENIORI, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDI,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICAN. BEROLIN. ET MONS-
PELIENS. SODALI, ET COMITI PALATINO CAESAREO,
MEDICO PRIMI NOMINIS CELEBERRIMO,

PORRO,
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO
ANATOMIAE ET CHIRVRGIAE PROFESSORI PVBL. ORDINARIO,
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS H. T. DECANO,
ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM, REGIAE BEROLINENSIS
ATQVE IMPERIALIS PETROPOLITANAE SCIENTIARVM, ET REGIAE
CHIRVRGICAE PARISIENSIS SODALI SPECTATISSIMO,
CLINICO VIGILANTISSIMO AC FELICISSIMO,

ITEMQVE

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMOQVE
DOMINO
IOHANNI PETRO EBERHARDO
MEDICINAE PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO,
ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM ET ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENTIARVM VTILIVM SODALI, SOCIETATIS TEVTONICAE IENENSIS MEMBRO HONORARIO,
PHILOSOPHO DE REBVS NATVRALIBVS MERITISSIMO,
PATRONIS, FAVTORIBVS ATQVE PRAECEPTORIBVS
MAXIMA MENTIS PIETATE AETERNVM DEVENERANDIS,

NEC NON

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
GEORGIO GVILIELMO CHRISTOPHORO BRVNINGIO
MEDICINAE DOCTORI, COMITI PALATINO CAESAREO,
SERENISS. PRINCIPIS PALATINO - SOLISBACENSIS ARCHIATRO, SERENISS. ET ILLVSTRISS. IBIDEM CAPITVLI MEDICO PRIMARIO, IN IMPERIALI CIVITATE ASSINDIA SPECTABILIS ANTISTITVM ORDINIS PRAESIDI SECVNDO, PHYSICO, ET COLLEGII CHIRVRGICI PRAESIDI,
PRACTICO ET APVD CIVES ET APVD EXTEROS LONGE CELEBERRIMO,
PATRONO AC FAVTORI
SVMMA REVERENTIA SEMPER RESPICIENDO
SPECIMEN HOC INAVGVRALE
GRATI ET BENEFICIORVM MEMORIS ANIMI
CVM VOTO
FELICISSIMAE PROSPERITATIS
SACRVM ESSE VOLVIT
AVCTOR.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

CONSENSV
PRIMARVM VIARVM CVM PERIMETRO CORPORIS HVMANI.

PROOEMIVM.

Horret animus, vaſta diſſertationum volumina contemplans, & tamen coactus, quantumcunque earum cumulum, nouas addendo, augere. Neſcius, quo accedat, quo applicet, quam viam inſiſtat, quam & ex quanam diſciplina exci-

piat propofitionem, qua methodo vtatur; femper veretur, ne, quoquo fe verterit, vix aut nedum vix non fieri poffit, ne crambem bis coctam apponat. Tantum vero abeft, vt nil boni vtilisque, ad vires difputaturi experiendas atque tentandas, exftaret, vt, in quodcunque cognitionis fuae exfpatietur campum, multae grauesque fe illi offerant veritates, quae ab illo explanatae, magnae ei forent gloriae. Specimen enim illi edendum eft: haud abfolutum opus. Qui hoc defiderauerit, ftudii medici confideret velim naturam,& quae huius fcientiae tyroni conceffa fint, perpendat. Ad facra enim Paeoniae artis penetralia nitenti, experientia, praeeuntibus fummis in arte viris, quam maxime confulenda eft: cuius autem in prima ftudiorum periodo & tempus & occafio deeft. Verum enim vero, qui, auctore Illuftr. *de* HALLER, fingulas corporis humani partes proprio marte perfcrutandas & defcribendas in fe fufcipere vellet, officio fuo perfecte fatisfaceret, & difputantis munere gloriofe defungeretur; fed & huius rei opportunitatem non femper praeberi, quem fugit? patet adhuc alia via, qua nec minus laudabiliter incedere licet. Praeclara enim feculi, quod viuimus, felicitate id contigit, vt tot tantisque nouis inuentis, tam ad phyficas res, quam ad anatomicam cognitionem pertinentibus, redundet ars falutaris, vt neque omnia, neque ad omnes partes rite fint iam adplicata.

cata. His vtere, his insistere, haec, si propria depromere non datur, in communem vsum conuerte.

Maximam certe meretur attentionem partium corporis humani consensus, quo in bonam & malam partem conspirant, cum hoc fundamento tota animalis oeconomia nitatur, & morborum natura atque cognatio nulla arte sine illius ope detegi possit. Quam ob rem HOFFMANNVS, qui vnus instar omnium nobis est, tam grauiter hanc doctrinam commendat: *Ego certe*, inquit, *si vllam in rebus medicis doctrinam scitu perquam necessariam & vtilem, hanc ipsam de consensu, fructuosam iudico.* Med. syst. Tom. III. Sect. I. Cap. V. Quam occultae autem & reconditae saepe sint huius consensus caussae, id clariss. FÜRSTENAV testari poterit, de consensu capitis cum pedum plantis, & abdominis cum peripheria corporis agens: *Illa quidem*, ait, *omnia in ipsa fundata sunt experientia, sed rationem eorum, omni dubio carentem, vix posse allegari deprehendes.* Dissert. epist. Neque tamen de hac re plane desperandum esse, aliorum exempla docent: cuius rei & nos periculum fecimus. Mirabilem nimirum inuenimus nexum, qui primarum viarum cum cute conspirationem efficit, & vetustissimis temporibus phaenomena, in microcosmo ab illo pendentia, iam nota fuerunt,

runt, de qua re ex HIPPOCRATE perſpicua teſtimonia in ſequentibus adducemus: ſed huc vsque fundamenta huius particularis conſenſus, ex Anatomia petenda, nos laterent, niſi ſagaciſſima ſummorum Anatomicorum, HALLERVM dico & MORGAGNVM, induſtria hunc repoſitum nexum in diem protuliſſet. Euicit enim vterque, primarum viarum tunicam nerueam & cutis integumentum vnius membranae compaginem eſſe; & ope huius aſſerti conſenſus praedicti explanationem tentauimus. Vnicum addo: Siue probes, ſiue noſtrum vituperes inſtitutum, L. B. candide nos ſcripſiſſe vt Tibi perſuaſum habeas, magnopere rogo.

Sectio I.

DE
CONSENSV PARTIVM IN GENERE.

§. I.
Conſenſus partium.

Fabrica animalis id praecipuae artis obtinuit, vt partes eius ſeries plurium machinarum, decreſcenti magnitudine ſeſe excipientium, repraeſentent, & hinc vel dexterrimis in arte anatomica viris ad vltimam materiam ſtructam, armatos etiam ſenſus effugientem, peruenire nondum contigerit. Infinitas corporis humani actiones inde concipimus, quae pro variis compoſitionis, ſtructurae, combinationis viriumque legibus varios edunt effectus, in id tamen conſpirantes, vt tota machina in actione ſua conſeruetur, & commercium mentem inter & corpus iugiter continuetur. Hoc concurſu functionum vita nititur, quae, ſi iuſta debitaque menſura & proportione exercentur, ſanitatem effici-

unt, & tum *consensus* idea nobis nascitur. Nexum autem, quo partes corporis animalis in vnum eoëunt atque concursant, & oculis & animo perlustrantes, inextricabilem circulum fere vbique deprehendimus, ab HIPPOCRATE iam his verbis notatum: *Principium corporis nullum, sed omnia similiter & principium & finis a)*. Non solum enim partes ratione finis conspirant, sed & ita inter se connexae sunt, vt inuicem in se agere & a se pati possint, vt, BOERHAAVIO loquente, actio hic fiat passio, & vicissim *b*). Hinc apparet, mutationes in parte quadam saepius contingere posse, quarum caussa neutiquam in illius structura, sed in mutata actione alius partis quaerenda sit. Et haec coniunctio partium, qua mutua actio illis intercedit ac passio, *consensus* seu sympathiae *c*) nomine apud Medicos celebratur.

§. II.

a) Lib. de loc. in hom. T. I. p. 363. Edit. Lind. Id. de aliment. p. 593.

b) Praelect. de Morb. nerv. p. 422.

c) Alium sensum huic voci tribuisse videtur Celeb. BAYLE, in Differt. *de Consensu vteri*, similem affectionem partium per consensum intelligens; nec desunt alii clari viri, huic definitioni assentientes. Sed saepius mutationes partium apparent, quarum altera per alteram determinata est, sic tamen, ne quid simile ratione affectionis obseruare liceat: pedes refrigerantur, dolet caput: in illis spastica constrictio, in hoc extensio vasorum a congestione producta, nonne consensus? seu quid simile? Et summorum Medicorum, HIPPOCRATIS, BAGLIVII & BOERHAAVII auctoritate nostram definitionem tueri liceat.

§. II.

Vniuerſalis conſenſus eiusque cauſſae.

I. *Neruorum nexus.*

Omnibus partibus corporis humani vniuerſalis eſt conſenſus, quo actiones ſibi communicant, & proprias affectiones ad quascunque alias transferunt, vt & remotiſſimae inter ſe conſpirent, & externae cum internis, & inferiores cum ſuperioribus. Pedes aegrotant, & condolet caput *d*); calculus veſicam incommodat, & glans penis pruritum ac dolorem ſentit *e*); renes nephritide calculoſa torquentur, & adeſt hemicrania, e directo dolenti reni reſpondens *f*), nec vllam particulam inuenies, quae a quauis alia affici nequeat. Grauiores ſingularium partium affectiones dolorificae quam triſtes ſcenas per totum ſyſtema motorium ſaepe non ludunt? Inde horrores, motus febriles, conuulſiones & epilepſiae. Cuius vniuerſalis conſenſus cauſſas *g*) iam expedituri, communem nexum, quo omnes partes vniuntur, triplici e fonte potiſſimum exponemus.

Primo

d) BAGLIVIVS de Fibra motr. Lib. I. Cap. X.

e) BOERHAAVE Lib. de Calcul. p. 50–51.

f) BAGLIVIVS Lib. de Fibr. motr. Cap. X. p. 345.

g) Veteres dignitatem huius doctrinae iam percepiſſent neceſſe fuit, cum vulgatiſſima experientia copioſa & ſat valida documenta quotidie fere de illa dictitet. Ita enim immortalis COVS: *In corpore humano confluxus eſt vnus, conſpiratio vna & conſentientia omnia*, Libr. de Alim.; & SABINVM in cauſſas conſortii partium iam inquiſiuiſſe, quas aut ad viciniam, aut ad familiaritatem vel generis vel operis retulerit, apud

Primo enim tota membrorum compages copiosissimis *neruorum* ramis perreptatur, qui, omnis sensus motusque moderatores & directores, latum in corpus humanum exercent dominium, vt totum fere corpus productionem nerueam esse BOERHAAVIVS sibi persuaserit *h*). Cerebrum autem eiusque appendix, medulla spinalis, vnicam originem illis praebent, in qua subtilissima illorum stamina miro modo confluunt, sibi intertexuntur, & sic vnicum systema constituunt *i*), quod a mutata parte totum mutari, & affectionem, quam hic vel ille neruus perpessus sit, omnibus communicare possit. Quocunque igitur loco cerebri medulla, vel spinalis irritetur, horrendae musculorum

apud GALENVM legimus, *Comment. in Hippocr. de morb. vulg. Lib. I.* Caussarum autem indagatio, cum subtilioris Anatomiae & ipsius circuli sanguinis plane essent ignari, ab illis speranda non erat. BAGLIVIVS demum, nouis Anatomicorum obseruationibus instructus, & ante aegrotorum lectos vigilantissima attentione dies noctesque versatus, HIPPOCRATIS obseruationes cum propriis combinauit, earumque caussas absconditas ex oeconomiae animalis natura ac legibus euoluere studuit. Caussarum igitur nomine originem partium, vicinitatem, vsum & officii communicationem comprehendit, & his systema suum de consensu superstruxit, *Libr. de fibr. motr. Cap. X.* cui vero subscribere non possumus. Falsam enim doctrinam de oscillatione membranarum, & potissimum meningum cerebri, quam hic applicauit, recentior aetas redarguit, & officii communicatio non tam inter caussas, quam potius inter effectus consensus recensenda est.

h) Praelect. in propr. Institut. Tom. IV.

i) *de* HALLER Elem. Physiol. Tom. IV. p. 399.

culorum conuulſiones vno momento in conſpectum veniunt *k*). Euidentiſſima exempla quotidie id probant, & cultro anatomico in animalibus viuis, quorum cranium detectum eſt, ſimiles effectus prouocare poſſumus. Sed & idem praeſtat neruus a quocunque ſtimulo, ſiue chemico, ſiue mechanico, laceſſitus *l*). Tranſit enim ab illo vis conuulſiua ad cerebrum, & ab hoc ad omnes muſculos redit. In vlcere circa tibiae malleolum pus & medicamentum appoſitum neruum arrodit, mox aeger, opiſthotono correptus, morti ſuccumbit *m*). Meſenterii neruis diſciſſis, poſt intolerabiles dolores, ſingultum, vomitum, deliria, mortemque ipſam ſuperueniſſe, ſaepius vna vice BOERHAAVIVS obſeruauit *n*). Huc venenorum, calculorum, herniarum, aliorumque eiusdem tituli malorum diriſſimos effectus reuocare oportet *o*). Hinc perſpicies, quanta ſit vis neruorum in mutanda totius corporis actione, & qua ratione vniuerſalis conſenſus ab illorum dominio dependeat.

§. III.

II. *Vaſorum Syſtema.*

Secundam autem cauſſam vniuerſalis conſenſus e *vaſorum nexu* hauriendam eſſe, quilibet, dummodo coniunctionem eorum in corde ad rationem perpendat, haud difficulter percipere poterit. Haec com-

k) Idem p. 327. & ſequ.

l) Idem p. 322.

m) HIPPOCRATES Epidem. Lib. V. p. 790. Ed. cit.

n) Praelect. de Morb. nerv. p. 352.

o) Ibidem.

communis vaſorum coniunctio, ſi etiam innumerabiles ramorum inoſculationes non attendas, facit, vt totum vaſorum-ſyſtema tanquam vnicum canalem, omnes corporis partes adeuntem & humores vel apportantem, vel reuehentem, conſiderare queas. Iam pone, partem huius canalis ab affectione cuiusdam viſceris, cui ſe inſinuat, ratione cauitatis, vel actionis mutari, totum canalem hanc mutationem perſentire & ad reliquas partes corporis transferre poſſe, facile concipies. Si itaque contingat, vt vaſa quaedam, v. g. pedum, ob refrigerium admiſſum conſtringantur, eorumque lumen imminuatur, fieri non poteſt, quin maior quantitas humorum verſus alias regiones determinetur, & in partibus minori vi reſiſtentibus congeſtiones producantur. Sanguini venae portae cum ob hepatis infarctum exitus denegatus ſit, quot quantaque oriantur incommoda, fere omnes functiones perturbantia, litteratorum, nec non aliorum, qui vita ſedentaria funguntur, morbi, tam variam laruam induentes, nos docent. E contrario maiorem impulſum ſanguinis, ad hunc illumue locum directum, in aliis inanitionem efficere obſeruamus: ſic venaeſectionem, ſi rubicundus latex vel celeriori riuo, vel ampliori e foramine exſilit, vt impetus maſſae ſanguineae nimis verſus pedes dirigatur, vacillatio ſeu defectus virium ſequitur, & balnea nimis calide vſurpata idem praeſtant.

§ IV.

III. *Tela celluloſa.*

Tertiam denique cauſſam diligens examen *telae celluloſae*, eiusque propagationis, ſubminiſtrare poterit. Partes enim firmans, vniens, reuincens, & mobilitatem illis condonans, totum corpus perambulat,

bulat, omniaque ad loca propagines, ſemper inter ſe connexas, dimittit *p*). Nec firmiores membranae aliam originem agnoſcunt, ſed meram telam celluloſam, ſtrictius vero congeſtam arctiusque intricatam, ſiſtunt *q*). Quae laxior eſt, & adipem aut tenuiorem humorem in ſe continet, cauernulis variae magnitudinis *r*), quae inuicem in ſe patent, pertuſa eſt, vnde via patet, qua corpus tam indigenum, quam peregrinum, ex parte ad partem migrare, & ex omni ſede in omnem progredi poteſt *s*). Aquarum, in hydropicis ſub cute ſtagnantium, per vulnera, in variis regionibus inflicta, vel vlcera a natura aperta, exitus, luculentiſſimum edit teſtimonium, & hoc fortaſſe eſt fundamentum, e quo mirificae morborum metaſtaſes, a fideliſſimis Medicis nonnumquam obſeruatae, explicandae veniunt *t*). En triplicem nexum, quo omnes partes fabricae animalis cum omnibus communicare & conſentire poſſunt!

§. V.

Particularis conſenſus, eiusque cauſſae.

I. *Neruorum ramificationes.*

Praeter iam recenſitas cauſſas conſenſus vniuerſalis, illarum etiam, quae his vel illis membris tantummodo propriae ſunt, adeoque parti-

p) *de* HALLER libr. cit. Tom. I. p. 10.

q) *de* HALLER Elem. Phyſiol. Tom. I. p. 10.

r) Ibid. p. 19.

s) Ibid. p. 17.

t) *van* SWIETEN Tom. II. pag. 752.

particularem conſenſum efficiunt, mentionem adhuc fieri oportet. Ad *quinque claſſes* eas reuocamus, quarum primam *neruorum ramificatio* omni iure obtinet. Irritationem nerui, ad cerebrum propagatam, ibique aliis communicatam, omnia motus inſtrumenta agitare vidimus (§. II.); ſed & ramis a neruo ortis eiusmodi nexum, quo inuicem in ſe agere ſibique actiones communicare poſſunt, intercedere, anatomica experimenta aeque, ac morborum phaenomena, ſuadere videntur. Non ſemper enim conuulſio vniuerſalis a neruorum irritatione excitata eſt, cum potius ab origine illorum remotiores eam pati ſoleant, muſculique inferiori loco poſiti in conſenſum vocentur. Ligaturâ neruis iniectâ, & quocunque ſtimulo infra illam applicato, partes muſculoſae, quas rami trunci ligati adeunt, ſpaſticis conſtrictionibus afficiuntur *u*). Quodſi itaque neruorum irritationes e parte ad partem tranſeunt, via ad cerebrum tendente penitus intercepta, coniunctionem in ipſis fibris adeſſe neceſſe eſt, aliorumque obiectionem, quam ex anatomicis petere voluerunt, quod neruorum inoſculationes nunquam apparuerint, ſed filamenta parallelo decurſu potius progredi videantur, omni iure reiicimus, cum ſenſuum ope de ſtructura & nexu minimarum particularum corporis humani nil iudicetur, & certa experimenta, a fideliſſimis Medicis caute inſtituta, contrarium luculenter euincant *x*). Experientiam igitur morborumque hiſtorias audiamus! Saeuiens nephritis, per meſenterium, inteſtina & ventriculum dolores & conuulſiones diſpertit, vt vomitus vix non ſemper fidelis

u) *de* HALLER ſur la Senſibil. & ſur la Irritabil.

x) *de* HALLER Prim. lin. Phyſiol. p. 232.

fidelis eius ſit comes *y*), & ad teſticulos vsque dolores dimittit idem morbus, vt Medicos, ſymptomate hoc deceptos, cremaſteras nonnunquam exciſiſſe, referat ARETAEVS *z*). Ex vulnere muſculi temporalis maxillae ſpasmum, & ab hernia digitorum conuulſionem alii obſeruarunt *a*). Plures obſeruationes huius loci recenſere, & copioſiorem ſermonem requirere, & ſuperfluum eſſe videtur, cum vberrima earum collectio in Illuſtr. *de* HALLER *Element: Phyſiolog.* exſtet. An in gangliis peculiaris neruorum nexus? Haud pauca quidem nec leuioris ponderis ſunt argumenta, quae Illuſtr. *de* HAEN, phaenomena nerui intercoſtalis male effecti, & brachiorum reſolutionem, poſt diriſſima colicae Pictonum tormenta ortam, inprimis perpendens, pro hac opinione expedire conatur, quorum confirmationem a feliciori Anatomes aeuo expectemus *b*). Quam multum ramificationes neruorum ad particularem conſenſum partium conferant, ex iam allatis perſpicitur: id vero lugendum eſt, multa, ad nerueam ſtructuram corporis humani pertinentia, cognitionem noſtram adhuc fugere, indeque impedire, quo minus in explicanda hac doctrina faciliori via progredi liceat. Sunt tamen nonnulla, quae, applicatis hisce fundamentis, ad rationem enodare conceditur; inprimisque nexus nerui intercoſtalis cum pari quinto, omni exquiſitiore attentione dignus, ad explicanda propagatae irritationis ac ſenſationis multa phaenomena

C ſymbo-

y) BOERHAAVIVS Aphorism. 995.

z) de cauſſ. & ſign. morb. diut. Lib. II. Cap. VIII.

a) VATER de Conſenſ. corp.

b) Rat. medend. P. III. p. 105. & ſeq.

ſymbolum ſuum confert. Sternutationis, medicamentorum ſudoriſerorum effectus, riſus, dentium doloris ad aures propagationis, variarumque aliarum actionum, quas per conſenſum dicunt, phaenomena, celeberr. MECKEL ſolidiſſime inde expediuit, in elegantiſſimo Tractatu, *de quinto pare neruorum cerebri.*

§. VI.

II. *Vaſorum nexus & ramificationes.*

Vaſorum nexus & ramificationes, maiori quidem facilitate detegendae, haud minori tamen attentione dignae, ſecundam cauſſam particularis conſenſus ſuppeditabunt. Cedit ſanguis quo via patet, & obſtructionibus vnam partem infeſtantibus, verſus eas congeritur, quibus cum illa vnus eſt truncus. Liene a flatibus, in flexura coli ſiniſtra incarceratis, compreſſo, maior quantitas humorum verſus ventriculum determinatur, variaque incommoda illi importat. Pulmonum etiam actio mirifice id teſtatur. Sanguinis per vaſa pulmonalia circulatio moderatam requirit huius viſceris expanſionem & coarctationem, quarum ſi alterutra nimis intenditur vel remittit, fieri non poteſt, quin motus humorum retardetur, ſanguinis expulſio e corde difficilior euadat, & inſimul ſufficiens venae cauae euacuatio impediatur: qua autem deficiente, capitis venae miro modo turgent, facies rubet, oculi lacrymas plorant, multaque alia phaenomena, certa congeſtionis ſigna, in conſpectum veniunt. Conſenſus vteri cum ventriculo eandem cauſſam agnoſcit.

§. VII.

§. VII.

III. *Membranarum propagatio.*

Tertiam caussam vt eliciamus, in considerandа *membranarum propagatione* paululum nobis versandum erit. Duplici ratione partes, quae membranarum ope inter se nexae sunt, conspirant & consentiunt, vel mechanica tensione, continuatione illarum continuata, (& vicissim de relaxatione id dictum esse volumus,) vel sensatione & motu vitali a parte ad partem propagato. Illud ob fibrarum cohaesionem; hoc autem ob neruorum nexum euenire posse videtur, cum minimas earum fibrillas, totam membranae expansionem perreptantes, intimam coniunctionem subire, experientia doceat. Tensionis per membranarum continuationem continuatae effectus ex articulorum, qui exciderunt, historia egregie illustrari persuademus, quam ob caussam vnam tantummodo alteramue historiam adducemus. Femore luxato, non solum membrum, quod excidit, sed crus etiam pedemque lateris affecti breuiora euadere, HIPPOCRATES iam notauit *c*); nec differt, quod CELSVS de humeri luxatione disputat *d*), cùm vterque deficientem vsum membrorum luxatorum pro caussa marcoris & decrescentis longitudinis incuset. Sed saepius accidit, vt huiuś vel illius membri vsus per notabile temporis spatium plane interdictus sit, neque tamen vlla macies se manifestet. Cur in hoc casu non idem euenit? Hanc vero obiectionem facile euitare poteris, dummodo ad fasciae latae expansionem attendas, quae femoris

c) Lib. de articul.

d) Lib. VIII. Cap. II.

ſub luxatione tenſionem haud minimam patitur, rigidior breuiorque euadit, & inferiores partes verſus ſuperiora trahit. Senſationis autem per membranas propagatae haec documenta habeto. Vermium in inteſtinis nidulantium ſignum vere diagnoſticum, pruritum puta, qui circa regionem naſi ſentitur, ſi hac ratione non explicaueris, aliam viam, qua huic negotio ſatisfacturus ſis, me non perſpicere poſſe lubenter fateor. Doloris, quem calculi, veſicam obſidentes, in glande penis excitant, explanationem Illuſtr. HALLERVS ad hoc fundamentum reuocauit *e*): & idem Vir doctiſſimus nobis eſt auctor, quo ſurditatis per diarrhoeam ſaepius curatae explicationem hunc in modum tentemus. Membrana enim inteſtinorum villoſa, per ventriculum & ſtomachum ad fauces continuata, tubis Euſtachianis ſeſe inſinuat & cauitatem auris internam inuoluit. Quotiescunque igitur in hac membrana ſurditas ſedem fixerit, dum mucoſi humores, vel quantitate, vel qualitate peccantes, ibi coaceruantur atque ſtagnant, acuſticique nerui actionem impediunt, aut cauitatem ita replent, vt ſonus percuſſi aëris ſatis reſonare nequeat, e diarrhoea id boni euenire poteſt, vt irritatio inteſtinorum per tunicam villoſam ad aures aſcendere, & minima vaſcula in oſcillationem, qua liberior fiat circulatio, & materiae ſtagnantis reſorbtio, ciere poſſit.

§. VIII.

IV. *Fabricae ſimilitudo.*

Quid *ſimilis partium ſtructura*, quam pro quarta cauſſa conſenſus ventilamus, ad hoc negotium conferat, paucis, quae e phyſiologi-

e) Prim. lin. Phyſiolog. p. 395.

ſiologicis repetimus, principiis exponemus. Indoles humorum corporis animalis in variis partibus varia, a ſtructura vaſorum, quibus ſecretio imperata eſt, potiſſimum dependet, quantitas autem laticis ſe- vel excreti, pro actione inſtrumentorum & maiori minoriue quantitate humorum aduectorum & ad ſecretionem idoneorum, differt, ex quo concludimus, fore vt partes ſimili ſtructura praeditae ſimile liquidum ſecernant, ac easdem particulas maſſae humorum detrahant, & quo plura ſint organa, quae ſimili negotio fungantur, eo minor quantitas humorum, ad ſecretionem aptorum, ad ſingula deueniat. Et idem valet de actione eiusmodi organorum, quae, ſi in aliis vegetior eſt, aliis non tanta copia liquidi ſecernendi praeſto ſit neceſſe eſt. Hisce ex fundamentis, cum relatio inter partium actiones ſemper obtineat, iis, quae ſimili fabrica conflatae ſunt, conſenſum intercedere percipimus. Quam praeclare experientia id teſtatur! Sudoris & vrinae, quamquam non idem ſe- & excretionis ſit modus, vtriusque tamen natura non valde differt, qua noxiae inutilesque particulae e corpore eliminantur; ſed mutuo auxilio ad hoc munus conſpirant, vt quo magis tranſpirabilis materiae difflatio remittat, eo maior vrinae copia prodeat ſudorisque vicem ſubeat. Nec alienum eſt, quod in glandulis, quae muci & ſaliuae officinam conſtituunt, obſeruare licet, aliarum functione aucta, alias ſegnius ſecernere, & viciſſim, vti ſub ſaliuatione id contingit, vt inteſtinorum membranae ſicciores fiant, & aluus officio ſuo pigre defungatur, & e contrario, purgantibus remediis aſſumtis, ariditas ſiccitasque fauces accendant.

§. IX.

V. *Vicinitas partium.*

Vltimo denique cauſſarum loco vt *viciniam partium* addamus, duplex ratio ſuadet. Viſcera enim prope ſe habitantia primo mole ſua, nullo fibrarum nexu intercedente, tam comprimendo, quam e ſitu deiiciendo, peſſime ſe afficere valent, vti in reſpirationis vitiis, quae pulmonum extenſionem impediunt, abdominis contenta, nimis turgefacta & diſtenta, ſaepius in cauſſam vocanda ſunt. Inteſtina, a flatibus crudeliter expanſa, ita compreſſerant hepar, vt manifeſta eorum ſibi impreſſa gereret veſtigia *f)*. Deglutitio laeſa, ob glandulam thymos corruptis humoribus infarctam *g*); eadem functio a dextro pulmone ſcirrhoſo, mediaſtinum & oeſophagum verſus ſiniſtrum pectus protrudente, plane ſuppreſſa *h*); & a tonſillarum inflammatione ſpiritus impeditus *i*). Deinde etiam alia ratione viſcera male ſe inuicem afficere valent, dum iuxta ſe poſita tenuiſſimum, quem transpirant, laticem, ſibi communicare & mutuo imbibere poſſunt. Acre, bilioſum, rodens, putridum, cancroſum, facillime ſic a parte ad partem ſerpit, & priori ſede relicta triſtiſſimas turbas ad alias regiones transfert. Incredibile fere putaueris, in quam immenſam haec mala progredi poſſint latitudinem, niſi cadauerum perſcrutatio id ita verum eſſe demonſtraſſet, vt, excepto liene, renibus, ventriculo, omnia

f) *Thom.* KERCKRING, Obſerv. anat. 50.

g) BONETVS Sepulcr. anat. p. 750.

h) *van* SWIETEN Comment. in Boerh. Aphor. Tom. II. p. 649.

i) CELSVS Lib. VI. Cap. X.

omnia abdominis & thoracis contenta depaſta nonnunquam deprehendantur *k*). Simili modo colica bilioſa ſine effuſione bilis, calculis felleis exitum eius impedientibus, mera tranſudatione, qua ad inteſtinum colon defertur, produci poteſt *l*).

§. X.

Vtilitas huius Conſenſus.

Quae autem ſit *vtilitas conſenſus* iam celebrati, & quis finis, ne longiori ſermone de via declinemus, paucis, ſi ita placet, adumbrabimus. Ad humanitatis ſyſtema conſtituendum, quippe quo tam infinitae vniuerſi ſpecies ad mentem perferri & ab hac voluntatis imperia iterum remanare, neceſſariaeque mutationes produci poſſent, ſapientiſſimus Creator vniuerſali illo confluxu & conſpiratione partium vti voluit, vt innumerarum machinarum varietas, elegantiſſima harmonia, vnico obtemperet principio, quod ſentiat & moueat. Verum enim vero, vt corporis animalis natura ſui ipſius ſit conſeruatrix, & excidium atque ruinam, quam externi ac interni hoſtes quolibet temporis momento minantur, innatis remediis reprimere & ſubmouere valeat, intima partium coniunctio neceſſaria fuit, qua mutua auxilia conferre & ſanae aegris ſuppetias praebere queant. Quantumne igitur boni in nos inde redundat? Quantamne vtilitatem ex hac doctrina Medicus hauriet? Methodum enim, quam natura in morborum cura adhibet, probe edoctus, artis regulas ad illam accommodabit, morbosque a morbis diſcernet.

k) BONETVS Sepulcr. anat. p. 604.

l) Ibid. p. 912.

SECTIO

Sectio II.

CONSENSVS PRIMARVM VIARVM CVM CVTE.

§. XI.

Cutis.

Praemiſimus generaliora, quorum ad partes, de quibus nobis ſermo eſt, applicatione, nonnullis tantummodo ex Anatomia antea repetitis, ſpecialem Diſſertationis noſtrae tractationem mox illuſtratam explicatamque dabimus *m*). Cutis enim ſtructuram atque officium, nec non membranarum, quae inteſtina conſtituunt, niſi probe cognitum habeamus, conſenſum, qui inter primas vias & corticem corporis obtinet, diiudicare difficilioris erit laboris. Corporis humani integumenta e duplici inuolucro enaſcuntur, cuius vtriusque valde diuerſa eſt natura, ſiue ſtructuram, ſiue functiones, ſpectes. Cuticula exterius ſiſtit, quod aëri oppoſitum, ſingularem fere prae aliis membranis nactum eſt naturam & ſiccam & inſenſilem, quo neruis ſubiacentibus totum

prae-

m) Perfectam accuratamque cutis & inteſtinorum delineationem tradere, huius loci non eſt. Satis eſſe videtur, quae ad probandum & explicandum praedictum conſenſum ſufficiunt, adducere. Mittimus ergo diſputationem de cuticulae laminis, poris & generatione, de muco Malpighiano, de vera ſudoris natura, de inteſtinorum ſtructura & actione, aliisque eiusdem generis, quae ad perfectam quidem cognitionem, ad noſtrum vero ſcopum non faciunt.

praebeat integumentum. Vti toti perimetro corporis aequaliter ſuperinduitur, ſic etiam cauitates & foramina, quibus machina noſtra verſus exteriora hiat, intrat, eorum tractus & directionem ſequitur, atque communem, ſed tenuiorem membranam, quam *epithelium* RVYSCHIVS vocat, illis ſubminiſtrat. Anum ſubit, vuluam, vrethram, nares auresque, oculorum cauitates atque os, tendit denique ad fauces, a quibus per aſperam arteriam ad pulmones, & per ſtomachum ad ventriculum atque inteſtina deſcendit, quorum interiorem ſuccingentem membranam, quam *villoſam* dicunt, meram epidermidos eſſe continuationem, dexterrimorum Anatomicorum cultri docuerunt *n*). An hic nexus primarum viarum cum cute per cuticulae continuationem ad conſenſum harum partium quid confert? Non credibile videtur: motu enim & ſenſu plane deſtituitur *o*). Cutis vero ipſa membranarum ſtructuram omnino refert, laxiori facie ver-

D ſus

n) RVYSCHIVS Aduerſ. III. pag. 34. Theſ. VI, 115. KAAW de Perſpir. Hipp. n. 109. *de* HALLER Elem. Phyſiol. Tom. V. p. 12. MONROO in Act. Edinb. Tom. IV. p. 79.

o) Regerere poſſes, tunicam inteſtinorum perquam ſenſilem, epidermidem autem omni ſenſu plane deſtitutam eſſe, igiturque diuerſam harum membranarum naturam ſatis euidenter probari. Sed & tunicae villoſae ſenſum denegamus. Probe enim diſtinguendum eſt inter illam & villos ipſos, qui ex extremitatibus vaſorum ſecernentium & reſorbentium, nec non neruorum papillis, a ſic dicta neruea tunica progredientibus & elongatis, oriuntur. His villis epidermis continuata vaginulas induit, quae illos vt corpora valde ſenſilia ab acrium & aëris contactu defendunt. *de* HALLER *in Boerh. Prael.* *ſ*. 91. *n*. 3.

ſus muſculos & partes internas, firmiori autem verſus cuticulam reſpiciens, cum qua per minimos vaſculorum ductus nectitur. Cum illi id negotii a natura imperatum ſit, vt tactus ſenſum, ab externis corporibus excitatum, modificaret, numeroſiſſimis neruorum ramulis atque fibrillis illam abundare neceſſe eſt. Vbi ex exteriori facie emergunt, inuolucra ſua relinquunt, & nudae in mucoſas papillas, maxima ſenſilitate praeditas, colliguntur. Microscopiorum acies ad ſubtilem illarum ſtructuram contemplandam nondum ſuffecit; quid mirum igitur, nexum, quo minimae fibrillae coëunt, in occulto adhuc latere, quamquam experientia illum ſatis confirmet? Dolor vel inflammatio a minimae particulae laeſione, v. g. a punctura inſectorum quorundam, quousque ſaepe non extenduntur? quod, niſi nerui inter ſe nexi eſſent, ita ſe habere non poſſet. Vaſorum autem, cutim perreptantium, pro ratione voluminis huius membranae maxima eſt copia, tam ſanguineorum, quam minorum generum, quae maximae irritabilitatis eſſe videntur. Frigus enim admiſſum, inprimis ſi ſudauerit antea corpus, ſubito ea contrahit. Nec deſunt in cute folliculi glandulaeque ſebaceae, quarum emiſſaria epidermidis poros petunt. De cuticulae continuatae propagationibus, quae cauitates internas intrant iisque epithelium praebent, conuenimus: an idem autem de cute ipſa verum ſit, clariſſimi viri, quibus in anatomicis probatiſſima eſt fides, nos doceant. Celeberr. KAAW quidem illam ſimili modo internas caueas ſubire negat, quamquam papillarum ſtructuram etiam in illarum membranis admittat; ſed experimenta, quibus partes ſuas corroborare poſſit, neque inſtituit, neque allegauit. Clariſſ. MORGAGNI autem, cui Anatomia, & ob vitia repurgata, & ob noua inuenta

uenta tantum debet, haec ſunt verba: *Cutem in ore, naribus, oculis, auribus, pudendis, &c. non perforari quidem, ſed potius intro reflecti cenſeo. Ita enim cum tunicis, eas omnes caueas ſuccingentibus, continuata, vt in illarum multis ipſa cutis ſtructura non multum obliteretur p*). Haec Illuſtr. *de* HALLER ita confirmat: *Cutis videtur perforari in oculis, auribus, naribus, ore, vmbilico, genitalibus partibus, ano. Satis vero nunc notum eſt, non reſcindi in iis, quae dixi, locis, ſed introrſum tractam, paulatimque mutatam, & narium caueam, & oris, & vuluae, & extremi inteſtini oblinire q*). Quae ſi cum illis comparaueris, quae in *Primis lineis Phyſiologiae* hunc in modum dixit: *Vera cutis cum palati, linguae, pharyngis, narium internarum, vagina interna fabrica continua, in albam, vbique pulpoſam, craſſulam, nerueam vulgo dictam, harum tunicam abit r*): quousque cutis propagationes progrediantur, iudicatu haud difficile erit. Verum enim vero, ad inteſtina etiam illam peruenire, apud eruditiſſimos, quos iam citauimus, Auctores, minime quidem legimus, ſed id ex allatis ſequi, quilibet ſine dubio perſpiciet. Oris enim caueam ingreſſa, muſculoſam linguae fabricam inuoluit, fauces inueſtit, glandulas ſaliuales atque tonſillas tuto ſub integumento collocat, id quod vterque probat: mox abit ad pharyngem & ſtomachum, descendit denique ad ventriculum, & ſic continuatur per totum alimentorum canalem, vt nullus ſit detegendus finis, nulla interceptio, potius vt,

p) Aduerſ. II, 2.

q) Elem. Phyſiol. Tom. V. p. 2.

r) §. 432.

cum ad vltimos inteſtinorum terminos peruenerit, extrorſum per aluum reflectatur, cutisque iterum induat ſpeciem.

§. XII.

Tunica neruea.

Cutis fabricam atque continuationem diximus: de nerueae tunicae ſtructura pauca adhuc diſſeramus. Quamquam pro varia partium, quas amplectitur, conſtitutione, naturam ſuam nonnunquam mutare videtur, magnam tamen ſui ſimilitudinem ſemper ſeruat, nec niſi quod modo laxior, modo ſtrictior ſit, a ſe ipſa differt. In membranarum modum fibris telae celluloſae ſtrictius congeſtis contexitur, copioſiſſimis neruis atque vaſis intercurrentibus elegantiſſimum depingentibus rete, iniectoria arte ita rubefaciendum, vt totum volumen ex mera vaſorum congerie conflatum eſſe videatur. Vtrique illius faciei folliculi glandulaeque varii ordinis accumbunt, emiſſariis ſuis in cauitatem internam hiantes. Minimae neruorum, qui verſus interiora elongantur, extremitates cum vaſculis, quibus ſubtiliſſima eſt ſtructura, in papillas diuerſae magnitudinis atque ſtructurae, linguae in dorſo magis conſpicuas, in ventriculo autem minutiores, coëunt atque elongantur. Simili modo vaſa, quae tenuioris ordinis ſunt, extremitatibus ſuis elongantur atque in villos colliguntur, quorum alii longiores, alii breuiores, vti etiam glandularum emiſſaria vaginulas ab epidermide mutuantur. Hi villi in inteſtinis quidem facilius in conſpectum veniunt, nec deſunt tamen in vlla primarum viarum parte, & buccas villoſas affirmat celeberr. ALBINVS, apud clariſſ.

riss. KAAW Lib. *de Perspir. Hipp. s*), & in oesophago apparent, etsi flocculenta structura illi non induta sit *t*). Cui membranae autem vt sensibilitatem, qua prae aliis partibus intestina maxime pollent, proprie adscribamus, ob copiam neruorum illam perreptantium, suademur. Hinc etiam fit, vt nulla vasa a quocunque fere stimulo facilius irritari & constringi possint, quam intestinorum villi, quod WEPFERVS multis & accuratis experimentis confirmatum dedit *u*). Ab exteriori parte musculosae fibrae per totum alimentorum canalem nerueae tunicae incumbunt, & cum hae ab iisdem neruis aeque ramulos accipiant ac illa, irritationes papillis applicatae ad musculosam membranam propagantur, & illius vim ad contractionem proritare valent.

§. XIII.

Cutis secretiones.

Sub chyli consortio non fieri potest, quin inutiles vel noxiae particulae per oscula vasorum lacteorum irrepant, atque per massam humorum diffundantur; accedit eo, motum fluidorum, ad eorum conseruandam bonam constitutionem tam necessarium, quoad partem illa calore, quem accendit, ac trituratione corrumpere, salinas particulas, aliis blandioribus inuolutas, liberare acrioresque reddere, nec solidis parcentem quasdam semper abradere: quibus vero ne acrimonia sua vel putredine illas, quae bonae sint indolis, inficiant, li-

s) n. 113.

t) *de* HALLER Prim. lin. Physiol. §. 618.

u) Lib. de Cicuta aquat.

berumque functionum prohibeant exercitium, vaporaria dedit natura, per quae mox exitum petere liceat. Huic negotio in omnibus externis partibus corporis cutaneum integumentum inseruit, & hanc ob caussam tanta excellit vasorum copia, quae omni tempore & omni in parte tenuissimum spirant vaporem. Cordis viribus atque arteriarum auctis, spissiores, tenaciores foetidaeque particulae simul exeunt, guttularum sub forma confluentes, & tum sudoris nomine appellantur. Elementa autem tam sudoris, quam insensibilis perspirationis, quoad maximam partem aqueae esse naturae, experimenta docent *x*): nec minus vero constat, salinas, volatiles atque oleosas particulas esse admixtas, & tam per arteriarum extremitates, quam per cuticulae poros e tela cellulosa subiacente transsudare *y*). Glandulae quidem huius excretionis nesciae sunt: secernunt tamen folliculi membranacei liquamen oleosum, lentum ac blandum *z*); glandulae autem compositae vnguen spissius, siccius, album, spissiusculum, ideo necessarium, quod neruorum papillae siccitatem ferre nequeant *a*). Haec sunt, quae de exspiratione cutanea hic monenda fuisse magnopere censuimus: superest, vt de inhalatione pauca addamus. De caueis internis non dubitandum est, quin vapor, vel spissius liquidum, quo lubricationis vel concretionis impediendae caussa iugiter irrorantur, per venas iterum imbibatur atque ad

x) *de* HALLER Elem. Phys. Tom. V. p. 52.

y) l. c. p. 44.

z) l. c. p. 40.

a) ibid. p. 41.

ad maſſam humorum reducatur: de cute vero nuperrima experimenta idem confirmarunt. Confirmatum eſſe, dicimus; antiquiſſimos enim auctores haec res non feſellit. Huc refero HIPPOCRATIS illud: *Inſpirans totum corpus b*), quod GALENVS hunc in modum commentatus eſt: *Accipit*, inquit, *in oscula, ex ambiente nosmet aëre, non paruam portionem; & hoc eſt iuxta* HIPPOCRATIS *dictum, quod inſpirans vniuerſum corpus c*). En ampliſſimam viam, qua humiditas aëris (hanc enim GALENVM per portionem aëris reſorbtam intelligere haud dubia res eſt,) corpus intrare, & remedia cuti applicata in internas partes ſuam exſerere poſſunt virtutem.

§. XIV.

Secretiones primarum viarum.

Reſtant adhuc quaedam de primarum viarum ſecretionibus dicenda; quarum duplicem officinam glandulae atque villi conſtituunt. Faucium glandulae ſaliuam deponunt, humorem blandum, volatilem, ex aqueis elementis & ſalino-oleoſis compoſitum: tenuior eſt, nec tamen valde diſſimilem dixerim, quem villi buccarum oeſophagique fundunt. Pancreaticus liquor, ac omnis per totum inteſtinorum canalem ab osculis arteriarum depoſitus, eiusdem eſſe naturae & cum illis, quas iam nominauimus, eidem ſcopo, cibis ſcilicet diluendis & reſoluendis, inſeruire videtur. Alius autem conſtitutionis atque vſus ſunt mucoſi atque lenti illi humores, qui ex tonſillis, folliculis glandulis-

b) Epidem. Lib. VI. Sect. VI.

c) de Pulſ. vſu, Cap. V.

dulisque ſebaceis, tunicae nerueae accumbentibus, ſtillant, parietes tubi alimentoſi ab acribus defendunt, illorumque lubricitatem ſeruant. Cum his in inferioribus inteſtinorum tubulis oleoſum vnguen, ab omento & pinguedine, quae inteſtino recto circumpoſita eſt, per membranarum poros tranſudans, miſcetur. Ad functiones recte peragendas liquidis deſcriptis neceſſario opus eſt: an excrementitiae etiam particulae per vaſa ad inteſtina deferuntur & fecum ſub conſortio e corpore eliminantur? A veritate hoc non eſſe alienum, plura ſunt, quae id teſtantur. Fecum aluinarum ſaepe intolerabilis irritatio, blandiſſimis etiam cibis aſſumtis; putrida excrementa foetus vix excluſi *meconium* nominant; excrementa ab hominibus, quorum inteſtina vulnere diſciſſa fuerant, per quatuordecim dies ſolo iure carnium nutritis, depoſita, & meconii naturam ſimulantia *d*); analogia a bile deſumta, cuius acerrima pars hunc exitum petit; ſanguinis depuratio per aluum; viſcida hydropicorum lympha per aluum ſubducta; per vomitum, quem tepida in ſano homine excitat aqua, eiectorum ſapor quodammodo muriaticus *e*); animae foetor in Monachis poſt ieiunium viginti quatuor horarum *f*); ſaliua acris poſt longiorem a cibis abſtinentiam; feces denique purulentae, a ſuppuraſcentibus inflammationibus remotiſſimarum partium, pauca ſunt e magno numero argumentorum huc pertinentium deſumta.

§. XV.

d) BOERHAAVIVS Praelect. in Inſtit. §. 112.

e) BRVNNERVS de Pancreat. p. 91.

f) BOERHAAVIVS loc. cit. §. 66.

§. XV.

Consensus primarum viarum cum cute,

I. *ratione sensus & motus.*

Stabilita videtis, quorum enodatio, vt ad scopum nostrum propius accedere liceret, necessaria fuit. Cutim proprie sic dictam & nerueam primarum viarum tunicam vnius membranae compaginem esse, euicimus (§. XI.): quodsi illa, quae de membranarum continuatione, vt caussa particulari consensus partium, superius tradidimus, huc reuocare volueris, primum consensus, de quo in praesenti disputatur, haec sistet fundamentum. Neruos enim, per totum praedictarum membranarum volumen dispersos, a quibuscunque demum ramis originem petent, vt tanquam proprium systema sensile ac motorium spectemus, quid prohibet? coniuncti enim sunt, ac in se ipsos inuicem agere, & a se affligi possunt. Quodsi igitur in primis viis sensus quidam excitetur, ad cutaneas partes illum transplantari posse videtur. Hic iterum meminisse velim pruritus, quem infantes, quorum intestina vermibus nidum praebent, in regione nasi persentiunt. Hominem noui, qui ostrearum esu valde delectatur, & tamen ab hoc ferculo omnino abstinere coactus est, ob intolerabilem vniuersae cutis pruritum, quo statim, ac illo fruitus est, vexatur. Simile quid in alio post allii assumtionem animaduertere licuit. E contraria autem parte sensationes in cute primum exsistentes, ex hac ad primas vias migrare & in tunicam nerueam vim quandam transferre, nonnullis experientiis, huc, ni fallor, referendis, significari videtur. Vehementem pruritum, a scabiosis pustulis proritatum, in sensibilioribus

ſubiectis nonnunquam nauſea comitatur, quae in ſcorbuto etiam ſaepe praeſens eſt. Haec de ſenſatione dicta ſint. Ex eodem autem fundamento conſenſum, quem praedictae partes ratione vis nerueae *g*) atque motus *h*) inter ſe exercent, deducere conabimur. Vaſcula, quae cutim & tunicam nerueam adeunt, tanta irritabilitate pollent, vt vel leuiſſima neruorum irritatio ea conſtringere valeat; cum autem nerui, a quibus haec vaſa vim ſuam mutuantur, particulare quoddam ſyſtema, vt ſuperius traditum eſt, intra ſe efficiant, facile perſpiciendum eſt, irritationem quamcunque, in cute aut in primis viis excitatam, ad omnem ambitum harum partium progreſſuram, & qualem contractionem in iis vaſis, quibus proxime ſenſatio fuit applicata, effecerit, talem etiam in remotiſſimis producturam fore. Inſimul patet, omnia, quae

g) Saepius fit, ſenſationem cum vi neruea confundi, nec inutile cenſemus hic monere, vt inter vires illas rite diſcernatur, ne inepte ſcripſiſſe videamur. Senſatio nobis dicitur mutatio neruorum, quae, ad ſenſorium commune propagata, a mente percipitur; vnde patet, eam nil cum motu participare: vis neruea autem illa eſt mutatio neruorum, quae, ad fibras musculares delata, ad motum eas impellit, nec tamen eadem eſt cum irritabilitate, quae fibrarum facultatem ſeſe contrahendi, ſiue a ſtimulo quodam externo, ſiue a vi neruea laceſſitae fuerint, ſupponit.

h) At cutis, ex mera tela celluloſa conflata, fibris muſculoſis caret; vnde igitur motus? In quantum illa membranam refert, nullum ipſi tribuimus motum: vaſis autem, quibus abundat, maxime irritabilibus, illum competere, quis neget, & cum his igitur a primis viis per vim nerueam communicari poterit.

quae vim neruеam in vno loco illorum organorum relaxauerint, idem in reliquis praeſtare non defutura eſſe. Adde huc, quod tunica neruea, cum fibris muſcularibus illam tegentibus, neruorum ope conſpiret (§. XII.), vnde muſculoſa etiam tunica a cute in conſenſum trahitur.

§. XVI.

Conſenſus primarum viarum cum cute
II. *ratione ſecretionum.*

Alterum conſenſus noſtri fundamentum, *ſecretionum*, quibus modo dictae funguntur partes, ſuppeditabit ſimilitudo. Videntur quidem cutis & primarum viarum ſecretiones ſatis differentes liquidorum ſpecies praebere, maximeque hoc inter illas intereſt, eas, quae in internis illis canalibus elaborantur, ad chylificationis negotium impendi, e contrario autem per cutis ſpiracula noxias atque inutiles particulas eiici: attamen primo conſideremus, vtriusque organi ſecretiones per arteriarum, rectilineo curſu, vel non multum aberrante progredientium, oscula perfici, igiturque omne fabricae diſcrimen in vaſorum diametro poni. Dein autem, ſi humorum, quos comparamus, naturam contemplaris, cum quoad maximam partem ex aqueis & ſalino-volatilibus particulis conflati ſint, in hoc ſibi reſpondere, & ſic paululum mutata vaſorum diametro easdem omnino particulas duplicem hanc viam petere poſſe, facile perſpicies. Quae vero ſumma rei eſt, in ſtatu etiam naturali haud minus per inteſtina, quam per cutim, excrementitia inquinamenta decedere, fideliſſimae docuerunt obſeruationes (§. XIV.). Haec igitur cum illis, quae de conſenſu ex

 ſimili-

ſimilitudine fabricae atque officii explicando aſſeruimus, collata, exponendae primarum viarum cum perimetro conporis conſpirationi nouam adfundent lucem. Alterutra enim parte officio ſuo non rite defungente, neceſſe eſt, vt quantitas particularum, quae ad ſecretionem in illa parte peragendam requirebantur, in maſſa humorum accumuletur, & pro rata etiam parte maior earum copia ad alterum organon, ſimili ſtructura praeditum, deferatur, igiturque eius functio intendatur. Haec eſt ratio, qua mutuum commercium primarum viarum cum cute, dum ſecernendi facultate pollent, demonſtratur: & hoc ita verum eſſe, vt cutaneis ſpiraculis occluſis, inteſtinorum ſecretiones increſcant, & viciſſim, horum actione langueſcente, perſpirationem atque ſudorem nouas reuocare vires, experientia mox confirmatum dabimus. Breuius haec partractauimus, per ſingula iam ituri.

SECTIO

SECTIO III.

PHAENOMENA HVIVS CONSENSVS ATQVE CONSECTARIA.

§. XVII.

Spasmi.

Sane qui animum & cogitationem ad morbos, quorum vim, cum magnus illorum ſit numerus, cutaneae partes primaeque viae experiuntur, conuerterit, id mecum conueniet, multos exiſtere, neque intelligendos, neque perſcrutandos, ſi illorum cauſſam, quam materialem dicunt, in ipſa parte quaeramus affecta. At facultas cui non deeſt perſpiciendi, quam arcta ſit harum partium coniunctio, quam indiſſolubilis conſpiratio, quam intricatum commercium, quam fida atque fidelis familiaritas in enucleanda hac aetiologica tractatione, is bene proſpereque procedet. Hoc per experientiam ita compertum haberi poteſt, vt vix aut nedum vix inteſtinorum canalis mala affiictione vexetur, ſiue morborum ex improuiſo prorumpens vis in illum faciat impetum, ſiue latescens virus ſuſpenſo gradu inſidias nectat, quin inſimul externa corporis integumenta triſtem compatiantur conſenſum. Quod ſummatim expoſuit BAGLIVIVS: *Cutis,* inquit, *cum aluo conſentit; aluus cum cute i*). Ne nimis vero in ingenti, quod his patet, exſpatiemur campo, eodem ordine phaenomena, quae conſpicienda ſe praebent, digeremus, quo antea in genere, quae de conſenſu hoc ſentiamus, ſunt expoſita (§. XV. XVI.).

E 3 Primum

i) de Fibr. motr. Lib. I. Cap. V.

Primum igitur quae inteſtina ſtimulando, ac vaſa fibrasque illorum ſtringendo, per continuatam vim nerueam (§. XV.) cutanea vaſa ad conſtrictionem diſponunt, recenſenda eſſe cenſemus. Corporum quidem tam ſubtilioris, quam craſſioris materiae, quae ſenſum ac motum membranarum, quibus primae viae conſtructae ſunt, mirifice exacuunt, vel ob acutam, ſpinoſam aculeatamque partium ſuarum figuram, vel ob adhuc plane latentem conſtitutionem, quam in epidemicorum morborum miasmate ſuſpicari fortaſſe poteris, id facientium, magnam inuenies multitudinem ac varietatem, ſiue ad eorum elementa, ſiue ad modum agendi, quod varia excitant ſymptomata, reſpicias. Alia enim in ventriculum, alia in inteſtina potius agunt: mox vehementiſſimis doloribus & inflammationibus hos canales torquentia, mox in vomitus atque diarrhoeas prorumpentia. Sed quibus mitiſſima etiam eſt actio, cum illis id commune eſt, vt ſtatim, ac nerui, vim a quocunque ſtimulo ſibi illatam percipiant, motus ſuos exacerbatos non ſolum per totum ciborum canalem diſpergant, ſed cum externis etiam partibus communicent, vaſaque cutanea velociſſimis ſtricturis afficiant. Quod innumeris quidem exemplis, praeclarius tamen nulla re, quam venenorum hiſtoriis, teſtari putamus. Simulac enim eorum vis ventriculi atque inteſtinorum neruis inſinuatur, cum nec minima illorum portio, quod cadauerum ſectiones ſaepenumero probarunt, ad ſanguinis maſſam tranſierit, quae etiam eo tranſire non poteſt, ob vehementiſſimum, quem in membranoſis his partibus excitant ſpasmum, orificiaque vaſorum reſorbentium clauſa; horror frigusque peripheriam corporis percurrunt, facies pallet, cutisque liuida

liuida cadaueris ſimulat ſpeciem *k*). Tabaci fumus inſuetis ſimilia quodammodo infert incommoda, nec tamen cum illis comparanda: nauſeam, vomitum, faciei pallorem, extremorum frigus, gelidumque e fronte ſtillantem ſudorem. Draſticorum autem purgantium, propius iam ad venenorum claſſes accedentium, idem eſt ac illorum effectus, quem illuſtr. b. m. HOFFMANNVS, improuidum eorum vſum ſeuerius caſtigans, pluries egregie teſtatur, *a purgantibus*, inquiens, *improuide & ſaepius ſumtis, flatulentias, ventris tumores tympaniticos, ſitim, febrilem calorem, ſudorem gelidum, in ipſa medicamenti operatione animaduertimus l)*; & alio loco triſtes eorum effectus accuſans, *praeter haec*, ait, *habitus corporis conſtringitur, partes extremae frigent & inhorreſcunt, cum ſudore frigido, quae cuncta facies cadaueroſa & tandem mors excipit m*). Non ſolum vero ſpasmi, in primis viis ab acribus ac venenatis corporibus excitati, ad peripheriam corporis transferuntur, ſed quaſcunque alias illarum irritationes, quo animi etiam commotiones vi commercii, quod cum corpore habet, referendae ſunt, ad cutaneum corticem ſe extendere, ibique vaſculis minimis ſpaſticas inprimere oſcillationes, quotidiana affirmat experientia. Sic pathemata animi, quae inteſtinorum fibras ad maiorem diſponunt contractionem, numquam cutaneas partes ſimili modo non afficiunt. Terroris vis ſine dubio, cum aluinae excretiones plerumque ab hoc interno hoſte ſufflaminentur, non ſolum inteſtina conſtringit, ſed & ab eadem, vaſculis periphericis inſimul occluſis,

k) HOFFMANNVS Medic. ration. ſyſtem. Tom. II. Cap. 2.

l) Lib. cit. Tom. II. Cap. 3.

m) ibid. Cap. 5.

clusis, extremitates corporis refrigerantur, & facies foedo pallore decoloratur *n*). Idem est habitus illorum, qui a vermibus se male habent, quemadmodum etiam potus frigidus, calente potissimum corpore ingurgitatus, horripilationes per vniuersam dimittit cutim; immo rigescit bilem vomiturus *o*), & conuulsiua colica laborans frigido madet sudore *p*). Sed ab altera parte, quod spasmi atque refrigerationes externi habitus corporis canali alimentorum communicantur, similesque per totum eius tractum ludunt tragoedias, consentientes primarum viarum & cutis conspiciuntur motus. Iterum audiamus probatissimae fidei auctorem, HOFFMANNVM puto: *Notum est*, inquit, *ex incessu nudis pedum plantis in pauimentum frigidum, nec non improuida pedum refrigeratione, cutim per omnem corporis ambitum stringi, & tormina ventris nonnunquam cum alui fluxu arcessi q).* Eadem ratione differens, *nocet praesertim*, ait, *frigus intestinorum canali, si vel abdomini liberalius admittatur, vel pedibus; quorum intimiorem cum intestinis consensum, illud inter alia docet momentum, quo teneriores, si nudis pedibus, stratis pauimentisque incedant frigidioribus, mox tormina intestinorum ac flatulentias patiuntur r*). Plures grauissimosque testes adire liceret, quos inter BAGLIVIVS

n) HOFFMANNVS loc. cit. Tom. I. Lib. II. Cap. II.

o) REGA *de Consensu part.* p. 177.

p) HOFFMANNVS l. c. Tom. III. Sect. I. Cap. V.

q) loc. cit. ibid.

r) loc. cit. Tom. IV. Part. III. Sect. V. Cap. VI.

VIVS *s*) atque FORESTVS *t*) inprimis excellunt, niſi quotidiana huius rei experientia ſatis ſaepe triſtia dictitet teſtimonia, & tota fere haec doctrina, ab Illuſtri PRAESIDE, atque ad cineres vsque deuenerando Praeceptore meo, in ſingulari Diſſertatione, *de Conſenſu pedum cum inteſtinis*, iam pertractata ſit. Quaecunque vero recenſuimus phaenomena, & probant conſenſum primarum viarum cum cute, & ſuperius ſtabilitis eius fundamentis explicanda veniunt *u*).

F §. XVIII.

s) loc. cit. Cap. X.

t) Lib. X. Obſ. X.

u) Haud minimae certe ſunt vtilitatis, quae de commercio motuum ſpaſticorum, cutem & inteſtinalem tractum infeſtantium, fuſius expoſuimus, cum ad intelligendam febrium naturam permultum omnino conferant, atque ad illarum ſedem perueſtigandam manu quaſi ducant. Clariſſimorum virorum iam dudum fuit ſententia, febrium fomitem in ventriculo & inteſtinis potiſſimum eſſe quaerendum: a veritate id alienum eſſe nonnullis viſum eſt. Cum ſpasmus periphericus cum ſubſequente velociori ſanguinis motu veram earum ſiſtat naturam, in ſanguine potius eiusque inquinamentis, motum circulatorium turbantibus, vniuerſalis huius morbi cauſſam latere concluſerunt. Sed praedictum perſpicite conſenſum, imperium, quod primae viae in cutaneas exercent partes, perpendite, nec arduum eſſe crediderim intelligere, quo modo impuritates, in illis haerentes, vniuerſalem ſpasmum periphericum prouocare poſſint, inſimul ſi audiatis experientiam. Quoties enim vnicum vomitorium vel laxans pharmacum effrenes motus febriles, antea vim remedii eludentes, vno momento depellit? De qua re clariſſ. REGA, in Tract. *de Conſenſu partium & potiſſimum ventriculi*, egregie diſſeruit.

§. XVIII.

Pars a parte relaxatur.

Ad relaxationem fibrarum accedimus, cuius duplex inuenitur ſenſus. Cohaerent enim fibrarum partes elementares diuerſo gradu, qui ſi imminuitur, relaxari fibras dicimus. Sed eodem verbo vtimur, ſi fibrae, quae motum exercent muſcularem, ab eo remittunt, & vis actionis earum decreſcit. Sic relaxatur cor, cum ceſſante contractione iterum dilatatur. Conſtat autem, membranas in vno puncto tenſas, per totum ſuum volumen hanc tenſionem pati, & viciſſim vno loco relaxatas, quoad reliquas partes etiam relaxari, niſi id ob alias fortaſſe cauſſas impediatur. Hoc quidem ad noſtram diſputationem applicandum foret, ob tunicae nerueae nexum cum cute: ſed an multum ad explicanda phaenomena conferre poſſit, omnino dubito; nonnullis enim in locis firmioribus partibus adhaeret, v. g. in gingiuis, quod tenſionis & relaxationis prohibet propagationem, quam etiam ob cauſſam de communicatione tenſionis mechanicae nil protulimus. Sed alteram relaxationis ſpeciem, fibris muſcularibus tantummodo propriam, propius ad noſtrum pertinere ſcopum puto, & hinc quid de ea ſentiam, paucis explanabo. Muſculorum quidem motus ab irritabilitate dependet, munere tamen ſuo fungi nequeunt, vi neruea deficiente, quae vel omnem efficiat irritabilitatem, cum nulla fibra muſcularis ſit ſine neruo, vel ſtimuli loco haberi poſſit. Vi neruea autem primae viae corporisque perimeter inter ſe conſentiunt, motusque ſibi communicant, vnde iam percipi poteſt, qua ratione alterius harum partium relaxatio, alteram ad eundem ſtatum diſponere poſſit, cum muſculi relaxatio ab imminuto fluidi neruei influxu dependere videatur. Huc refero,

ro, quod in ſenſibilioribus animaduertimus ſubiectis, poſt vnum alterumue vaſculum infuſi herbae Chinenſis calide aſſumtum, largiſſimum ſaepe effundi ſudorem. Et ni fallor, verum hic patet fundamentum, cui doctrina, de plurium remediorum diapnoicorum & ſudoriferorum modo agendi, ſuperſtrui debet. Duo enim potiſſimum momenta in ſudoris negotio attendenda ſunt: vis nimirum ſanguinis, qua vaſcula peripherica dilatantur, & illorum relaxatio, quam poſteriorem tamen primum ſibi vindicare in hac functione locum, ex illis exemplis, vbi velociſſima ſanguinis vrget circulatio, v. g. in febribus inflammatoriis, & ſumma tamen in partibus cutaneis conſpicitur ariditas, edocemur. Vaſorum autem cutaneorum relaxatio cum per conſenſum, quem cum primis viis alunt, determinari poſſit, remedia, quae in his fibras neruosque relaxant, non contemnendi in proliciendo ſudore erunt vſus. Aquoſa & humectantia, calide aſſumta, id praeſtant, item vaporoſa ſubtili ſulphureo principio praedita, & hae ſunt infuſorum diapnoicorum vires. Notum etiam eſt, quantum compoſitiones theriacales ad ſudorem excitandum valeant, & nullus dubito, quin opii admixti vi antiſpasmodicae hic effectus ſit tribuendus, quam ſententiam Illuſtr. LVDEWIG grauiſſimo ſuo tuetur iudicio *x*); & iam dudum ETTMÜLLERVS in Diſſertatione, *de Vi Opii diaphoretica*, hanc virtutem opiatis vindicauit. Quoniam vero ſatis cito ſudor ab his remediis prouocatur, opium autem longas in ventriculo nectit moras, antequam, menſtruis animalibus diſſolutum ad ſanguinem vehatur, hos ſudores per conſenſum excitatos vere dici poſſe, cenſemus. Quod de terreſtrium, vſtorum, &c. vi diaphoretica inter clariſſimos Medicos longe diſputatum

 eſt,

x) Inſtit. Therap. gen. §. 1592.

eſt, aliis experientiam, quae illam certe in ſenſibilioribus ſubiectis confirmauerit, citantibus, aliis argumenta a priori, vti dicunt, deſumta, quae indiſſoluta eiusmodi remedia in inteſtinis manere, & ſic intacta iterum excerni doceant, opponentibus, fortaſſe ad hoc caput reuocari poterit: Si enim in ſenſibilioribus tantummodo ſubiectis hanc terreſtrium virtutem depraedicare licet, cogitandum eſt, illa plerumque eſſe debilioris conſtitutionis, igiturque vitiis malae digeſtionis obnoxia, quae cruditates, inprimis acidas, ſpasmos inteſtinorum, & per conſenſum ſimul cutis ſtricturas gignere poſſunt. Cruditates autem acidae terreis particulis reſorbentur & corriguntur, & ita fit, vt cauſſa tranſpirationis ſufflaminatae remota tollatur.

Sed viciſſim etiam cutis relaxata motum inteſtinorum conſtrictorium debilitabit. Licet autem, cum corporis perimeter perpetuo aëris attritui ſit expoſitus, magisque idcirco ad rigiditatem inclinet, hicce conſpirationis modus non ſaepe locum habeat; fieri tamen nonnunquam obſeruamus, quod, aëre humido atque per longius temporis ſpatium nebuloſo exiſtente, appetitus proſtratus, digeſtio inordinata, aluusque laxior euadat. In colicis affectionibus & pertinaciori alui obſtructione balneorum vſus eximiae deprehenditur efficaciae, cum e contrario iis, quos frequenter cita exercet aluus, diſſuadeatur *y*).

§. XIX.

Secretiones inuicem augentur & imminuuntur.

Secretionum, quae illis partibus imperatae ſunt, mutuam rationem quae probant exempla, tantae ſunt multitudinis, vt pauca ex magno

gno

y) CELSVS Lib. I. Cap. VI. & VII.

gno illorum cumulo, nisi Dissertationis fines transgressuri simus, eligere cogamur. In genere quidem animaduertendum est, aluo suppressa, perspirationem augeri, & hac sufflaminata illam cieri. Obiici vero posset, vnam vel alteram secretionem suppressam spasmum supponere, qui, per consensum, alterius organon occludere etiam possit. Et videtur quidem hoc ita verum esse, vt transpirationis suppressae materia facilius ad intestina conuertatur, quam illorum secretiones per cutim exitum petant. Intestinorum enim caueae vaporis quasi balneum efficiunt, cuius calore & humiditate membranae eorum semper fouentur atque relaxantur, vnde spasmi, nisi sint vehementiores, non tam facile vasa primarum viarum constringere valent. Alui fluxus, purgantia vomitusque, perspirationem minuunt z), & vice versa, homines ad frequentiores sudores inclinantes, dura exercentur aluo *a*). Dysenteriae epidemicae, Antillas insulas vastantes, a frigida tempestate, perspirationem sufflaminante *b*), & fortasse omnis dysentericus morbus a frigore nocturno autumnali originem ducit *c*). Hinc subitum frigus facillime laxiorem reddit aluum *d*), & vestium hyemalium cum vernalibus improuida commutatio ipsam excitauit lienteriam *e*). Sed profecto omni attentione dignum est, materiam acrem, obstruentem, exanthema-

z) SANCTORIVS a SANCTORIO Sect. I. n. 54.

a) Ibid. n. 89.

b) *de* HALLER Elem. Physiol. Tom. V. p. 81.

c) TISSOT Anleit. vor das Landvolk, Cap. XXIV.

d) INNES de Ileo p. 45

e) RIVINVS de Morb. vest. p. 7.

thematicam, quae pedes manusque & omnem cutis ambitum infeſtat, ſi interiora verſus retropellitur, ventriculo potiſſimum & inteſtinis noxiam vim inferre, ibique, dum in partibus, in quibus primam fixerat ſedem, dulci leuamine iuuantur aegroti, vehementes excitare cruciatus, mox vero, his iterum relictis, ad illas reuerti. Haec eſt BAGLIVII ſententia: *Morbi cutis*, ait, *vt dolores artuum, foedae, ac pruriginoſae eiusdem maculae, in alui morbos ſoluuntur; alui affectiones, vt diarrhoeae, colicae, &c. in cutis affectiones migrant, & per cutis vias, per diaphoreſin nempe, ſanantur frequentiſſime f)*. Colicam etiam ſaepiſſime a retrocedente materia arthritica ſuſcitari, pluribus locis affirmauit HOFFMANNVS. Sed huius quaeſtionis explanatio haud difficilis videtur. Vaſa enim cutis & inteſtinorum ſimili praedita ſunt ſtructura, easdemque admittunt materias (§. XVI.), vnde hoc commercium oriri poteſt.

§. XX.

Phaenomena nonnulla falſo a conſenſu deriuantur.

Sed vnde fit, quod venena quaedam, corporis integumentis applicata, deleteriam ſuam in primas vias exerceant vim, & ventriculum vna cum inteſtinis quam grauiſſime afficiant, cum vehementiori ſaepe effectu, quam ſi ipſi ventriculo fuerint ingeſta g)? Sic v. g. pulueres ex Cantharidibus, vel mercurialibus parati, vulneribus cutis immodice inſperſi, ventriculi inflammationes excitarunt. Morſus viperae, ſummas ventriculi ciet aegritudines, vomitus bilioſos & ſingultus. Ictum cutaneorum comitatur intumeſcentia ventris, borborygmi & inteſti-

f) loc. cit.

g) HOFFMANNVS l. cit. Tom. II. Part. II. Cap. II.

teſtinorum flatus. Inflicta a Scorpione partibus extremis vulnera vomitus, nauſeas, ſingultus, &c. producunt. Cur remedia, quae per os aſſumta aluum laxant, idem quoque praeſtant cuti applicata? Veteres hoc ſcopo hellebori decoctum adhibebant, noſtrates unguento dialtheae, de arthanita, &c. vtuntur. Cur balſamica, cuti illinita, vomitum ſiſtunt? An haec a conſenſu primarum viarum cum cute? ſecus vt iudicemus, duae ſuadent rationes. Primo enim quoad effectum, quem venena in ventriculo edunt, haud negandum eſt, in reliquas fere omnes partes, cuti applicata, noxiam valde vim inferre. Febres incendunt, pulſum faciunt durum, deliria, lipothymias, gingiuarum oculorumque producunt inflammationes. Secundo autem, quod cutis vaſis abundat inhalantibus, cogitandum eſt, omnem fere materiam per has vias reſorberi, & ad reliquas partes ferri poſſe, in quibus dein has vel illas mutationes excitant. Sed ſi inhalatione cuti applicatorum vim laxatiuam illorum remediorum explicamus, quaerere poſſes, cur non haec irritantia, cum per inhalationem toti maſſae humorum communicentur, adeoque ad omnes corporis partes deferantur, alias etiam partes ſtimulo ſuo afficiant. Sed corpora quaedam irritantia non omnes partes ſtimulare valent, quanquam etiam illas attingant; ſic v. g. tartarus emeticus, oculis inſperſus, nulla illis incommoda adfert, ad ventriculum autem delatus, vomitum ciet. Laxantia irritant inteſtina, ventriculum relinquunt intactum. Hinc etiam fit, vt laxantia, cuti applicata, inteſtina tantummodo afficiant. Hoc magis adhuc probatur, ſi perpendimus, quod medicamenta, quae, per os aſſumta, in capitis partes ſuam potiſſimum virtutem exſerunt

b) Ibid. Tom. III. Sect. I. Cap V.

ſerunt roborantem, etiam externe adhibita idem faciant. Aqua Anhaltina, cum oleo maioranae & lauendulae pedibus infricta, capitis ſanat debilitatem, & in affectu ſoporoſo largiorem pituitae e naribus & faucibus effluxum ſuſcitauit.

§. XXI.

Concluſio.

Multa quidem ſunt, ex hac doctrina deducta, quae ad practicum forum applicari poſſunt. Pauca vero tantummodo addendo, Diſſertationi finem imponimus.

Primo: Cutis de praeſenti inteſtinorum conditione ſigna nonnunquam ſuppeditare poterit.

Secundo: Spasmo cutis praeſente, cum purgantibus, omnibusque remediis inteſtina irritantibus, cautius mercandum eſt.

Tertio: In morbis acutis exanthematicis, vbi materia cauſtica externam integumentorum corporis ſuperficiem petere recuſat, ad inteſtina ſemper eſt reſpiciendum, an illorum ſpasmus in cauſſa ſit.

Quarto: In colicis doloribus, ab obſtructione alui pertinaciori ortis, balnea aliis remediis ſunt praeferenda. Haec ſunt, quae pro virium modulo candide diximus: in quamcunque, ſeu bonam, ſeu malam accipias partem, HORATII ſententia nobis ſolatii loco erit:

Tentauit quoque rem ſi digne vertere poſſit.

ADNE-

ADNEXA.

1. Nerui in cor exercent imperium.
2. Nulla datur irritabilitas sine neruo.
3. Cortex Peruuianus & febrim tollit, & incendit.
4. Frigus febrile per se ipsum augetur.
5. Catarrhus modo caussa, modo effectus est febris catarrhalis.
6. Venaesectio ad curationem hydropis nonnunquam valere potest.

TANTVM.

CORRIGENDA.

Pag. 10. not. c. lin. 7. pro seu, leg. *sed.*
Pag. 19. §. VII. lin. 12. pro persuademus, leg. *persuademur.*
Pag. 33. §. XV. lin. 9. delcatur *haec.*
Ead. pag. lin. 11. pro petent, leg. *petant.*
Pag. 46. §. XX. lin. 6. pro cutaneorum leg. *aranearum.*

VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

IO. FRIDER. GOLDHAGEN, M. C.

Quanta mihi TECVM *per tres fere annos intercesserit necessitudo, etsi* TE *non ignorare scio: tamen hoc die* TVO *publice profitendum esse arbitror, hanc nostram amicitiam ita paratam ac confirmatam esse, vt in cuiusque* TVAE *felicitatis societatem venire cupiam. Etenim me* TVA *delectant omnia; ingenii felicitas & acumen, insigne bonarum artium studium, rei medicae peritia; maxime vero animi non simulatus ille candor, qui tum virtutibus reliquis commendationem addit, tum ad amicitiam plurimum valere potest. Quae quidem bona* TVA *cum hunc hodie exitum habeant, vt debita* TVAE *industriae praemia consequaris: facit illa laetitiae nostrae omnis communitas, vt summa voluptate perfundar. Gratulor igitur* TIBI *nouos honores, atque ita hoc instituo, vt videri velim reipublicae gratulari potius ciuem optimum, erudito orbi vtilissimae doctrinae socium, & miserrimae generis humani parti, eorum, qui cum morbis grauissime con-*

flictan-

flictantur, Medicum prudentissimum. Faxit Deus, vt haec omnis felicitas TIBI *pariter atque reipublicae constans sit & diuturna. Vnum illud,* CARISSIME ROCHOLL, TE *rogo, qui meus amor est, cum aliorum vitam conseruare laborabis, id praesertim contendas, vt studiosissime* TE IPSE *custodias. Amicitiae nostrae memorem* TE *semper futurum esse, ita persuasum habeo, vt si eius memoriam sollicite* TIBI *commendare vellem, non cogitare viderer, ad summum iam fastigium illam esse perductam. Vale. Dabam in Fridericiana, Non. Octobr. MDCCLXIV.*

PRAECLARISSIMO DOCTISSIMOQVE

DOMINO CANDIDATO

AMICORVM OPTIMO

S. P. D.

DIETERICH HERMANN. EHRLICH,

OPPONENS.

A*micitia* TVA *vix dignus mihi viderer, si hanc occasionem praetermiserim, quo minus gratas animi mei adfectiones* TIBI *declaratas esse voluerim. Nihil sane mihi in hac musarum sede accidere potuisset exoptatius* TVA *familiaritate atque amicitia. Vt enim scientiarum addiscendarum semper fuisti cupidissimus, morumque*

integritate ornatissimus; sic & TVI amici TVA vt sequerentur vestigia, voluisti. Quid autem melius, quid iucundius est, quam de amico gloriari posse honestissimo ac in litteris versatissimo? Satis autem persuasum me fecisti, ex quo mihi contigit, TVAM inire amicitiam, quam egregios feceris in arte salutari profectus; idque nunc iterum Specimine TVO inaugurali, proprio marte doctissime elaborato, satis luculenter demonstras. Sed de iis, quae adhuc in laudem TVAM proferre possem, verba multa non faciam, ne amicitiam nostram, quae omnem assentationem reiicit, violasse videar. In eo nunc potius versabor, vt honores TIBI iamiam conferendos, optime promeritos, ex animo TIBI gratuler. Summum, quod veneramur, Numen, TVIS conaminibus semper adspiret, omniaque TIBI vt ex voto succedant, benignissime iubeat. Viue itaque diuque viue in salutem reipublicae! Viue in solatium multorum aegrotantium! Viue in splendorem splendidae familiae! Viue denique in ornamentum patriae nostrae! Vale, AMICORVM OPTIME! meque TVI semper habeas amantissimum. De me vero certus persasusque sis, nihil mihi vmquam prius, nihil fore antiquius, TVA amicitia.

Iterum vale. Dabam Halae ad Salam, die XI. Octobris

MDCCLXIV.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE HONORATISSIMO

AMICO,

HONORVM DOCTORALIVM

CANDIDATO DIGNISSIMO,

S.

Summae laetitiae, quam percipio, gradum, cum TE *inſignem tot virtutibus, praeclarum tot animi dotibus, condecoratum iam iam meritis honoribus, conſpiciam, vix ac ne vix quidem enunciare mihi fas eſt. Gratulerne an taceam potius, quoniam verba deficiunt, quae intimo animi mei tenerrimoque ſenſui reſponderent. Breuibus animi ſenſa exponam, benignus eris, Amice eximie, mihi votis meis non ſatisfacturo. Auguror* TIBI *omnia fauſta, omnia felicia, gaudeo huncce diem praeclarum, albo calculo* TIBI *ſignandum, qui ſtudiis* TVIS *eximiis coronam imponit, & laurea nobili tempora* TVA *cingit. Hem te felicem! imo & me felicem, praeclariſſimo optime coniunctum optimo! Mactet* TE *DEVS omnibus bonis, fauſta ac exoptata* TIBI *omnia ſuccedere patiatur, infauſtaque omnia a* TE *arceat, longeque auertat. Magis magisque in dies* TVA *fama clareſcat, nominisque* TVI *augeatur ſplendor. Felix, bonoque abeas omine, multisque ſis ſuaſor, fau-*

tor,

tor, opitulatorque optimus; sed me, eximie peto, absens quoque ames, me aeternum

TIBI

Halae ad Salam,
die XI. Octobris
MDCCLXIV.

deditissimum,

F. A. M. GROLLMANN,

MARKANO-WESTPHALVM.

Wie festlich ist der Tag, der mit den Epheuzweigen
Des Aesculaps Dich, Freund, beschenkt,
Welch ein Dir würdger Lohn! kan hier mein Herze schweigen,
Geehrter Freund, das ewig zärtlich denkt?
Nein nein! mich reißt Dein Glük in reine Freuden,
Längst war Dir dieser Lohn bereit,
Du wachtest Nächte durch, o! Ihr seid zu beneiden,
Ihr Nächte, stillem Fleiß geweiht.
Hier sammltest Du Dir den Schaz von klugen Wissen,
Der Dich verehrungswürdig macht,
Hier reifte Dein Verstand, es wichen Finsternissen,
Der Warheit Licht vertrieb des Irrthums Nacht.
Heil Dir, o Freund! Du ärntest Ruhm und Ehre,
Den besten Lohn für Deinen Fleiß,

Laut

Laut ruft mein Herz Dir Glück; doch auch die stille Zähre
Rollt, die ich nicht zu hemmen weiß.
Du eilst von mir, Du Stolz von meiner Liebe,
Du eilst und raubest mir mein Glük.
So nimm, o Freund! das Opfer meiner Triebe,
Dir lächle stäts ein günstiges Geschik;
Dein Weg sei Licht, Dein Leben sei Vergnügen,
Gleich Deiner Tugend sei Dein Glük;
Doch laß auch stäts den Trieb der Freundschaft siegen,
Und denk an Deinen Freund zurük.

Halle in Sachsen,
den 11ten Octob. 1764.

J. H. Pollmann,
d. R. B.
aus dem Schwarzenbergischen in Westphalen.

